

conjugem petens et reddens debitum. Et ita Nav... dixit sufficere hunc ficto consentientem, vere consentire, licet plures intercesserint menses.

« Infertur 4<sup>o</sup> non esse opus ut iterum coram paroco et testibus celebretur hoc matrimonium, quia id est necessarium, quando omnino celebratur matrimonium, hic autem tantum suppletur defectus interni consensus, vel alius defectus occultus, et jam externo contractui astiterunt parochus et testes (56). » De *matrim.*, lib. II, disput. 32, n. 9 et seqq.

Errorem denique quod spectat, si versetur circa substantiam personæ, jure etiam naturali matrimonium irritare cum sit exploratum: quippe impedit consensus in substantiam contractus, nempe in personam, cum qua contrahitur, persona enim est substantiale ac primum objectum matrimonii, eo quod est res ipsa, circa quam contractus hujusmodi sese exerit; idque etiam si error sit solum concomitans, quia adhuc deest consensus actualis, et positivus essentialiter requisitus ad hujusmodi con-

(56) In primo tom. *Thesaur. resolut. sac. congr. Concilii*, pag. 240 et 241, *Panormitana nullitatis matrimonii*, afferuntur a Bened. XIV tunc a secretis præf. S. congregationis, resolutiones (d. congr.) anno 1609, etc., quibus definitum fuit matrimonium per vim, et metum contractum non convalidari, nisi iterum contrahatur *adhibita forma concilii*, licet intercesserit cohabitatio cum copula.

Casus fuit (eodem Bened. XIV a secretis) de quadam Catharina Bonfilio, quæ per vim et metum a Patre incussum, de quo testes deposuerunt, matrimonium contraxit in facie Ecclesiæ cum Francisco Alvarez, qui confessus est dictam Catharinam nunquam non invitam in nuptiis hujusmodi existisse, ita ut opus esset illi ad minas, vel percussiones descendere, quoties de copula conjugali agebatur.

Secretarius prædictus has eminentissimis PP. considerationes subjecit, nempe quod post concilium Tridentinum, a quo nova forma inducta in contrahendo matrimonio, præsentia videlicet parochi et duorum testium, non solum matrimonium est nullum, si fuerit contractum per vim et metum, sed ulterius non convalidatur, nisi iterum contrahatur, adhibita forma concilii, licet intercesserit cohabitatio, una cum copula, juxta resolutiones (sunt verba antedicti Secretarii, tom. et pag. cit.) hujus sacre congregationis, et signanter, in *Hispalen.* 20 Jun. 1609, lib. XI *Decret.*, fol. 58, a tergo (nempe): « Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum sæpius respondit hodie post Tridentinum concilium matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem concilii forma. » Et concordat (prosequitur Lambertinus, ibi) alia resolutio in *Constantinopolitana* 16 Decembris 1654, lib. XV *Decretorum*, fol. 46, a tergo. Unde S. Congregat. die 8 Jun. 1730 pro nullitate matrimonii de quo agitur, respondit.

Consimilis resolutio præf. S. Congr. prodiit in *causa Vigilien. matrimonii*, die 25 Junii 1725, et 13 Julii dicti anni, tom. III *Thesaur.*, etc., pag. 173, 185. Ibi casus fuit de quodam Marco Bruno, qui rem habebat cum quadam Joanna Soldano, cujus fratres sororis injuriam vindicaturi, dictum Bruno, postquam vulneribus lethaliter affecerunt, per vim et metum coegerunt eandem sororem uxorem du-

tractum, patet non aliter tale matrimonium ulique ex errore ejusmodi nullum, revalidari, quam ubi eo (errore) detecto pars ignara suum apponat consensum.

Unde Lia pro Rachele intrusa Jacobo, *Genes. XXIX*, non fuit vera ejus uxor nisi postquam ipse, detecta fraude, eandem acceptavit in uxorem. « Matrimonium (sic Reiffenstuel) Jacob cum Lia a principio fuit nullum; quamvis postea, accedente novo ipsius consensu, fuerit convalidatum. » *Theol. moral.*, tract. 14, quæst. 4, § 1, n. 51. Quod idem applica in casu erroris conditionis. *Vide* dicta ab auct. in art. 3, h. rubricæ, sub. n. 12 et seqq.

## ARTICULUS IX.

*Matrimonium quoad varia miscellanea ipsum concernentia.*

## SUMMARIUM.

1. Matrimonium contrahentes, omissis dolose denuntiationibus, seu fraude deceptis paroco et testibus, possunt puniri ab episcopo etiam pœna pecuniaria. Imo potest episcopus punire et ipsos paro-

cere, accito fraudulenter paroco, cui bini sacerdotes pro nuptiis hujusmodi uti testes adjuncti fuerunt. Quod factum publicum ac notorium evasit, quippe cum interfuissent medicus, chirurgus, alique testantes vim et metum in constantem virum in matrim. de quo hic, intercessisse. Et in hac causa prælaudatus Lambertinus in considerat. EE. PP. submissis, eadem, uti supra, tradidit. « Supposito quippe metu (sic ille), et quod matrimonium contractum fuerit dependenter a metu cadente in constantem virum, subsequens cohabitatio illud validum efficere non potest, nisi novus accedat consensus, adhibita forma a concilio Tridentino præscripta: » et iterum affert resolutiones S. Congr. in *Hispalen.* etc., quas transcripsimus.

Sed cum ex ipsius Benedicti XIV sententia, ut sub n. 3, hujus art. nec non ex Pii V oraculo, atque ex stylo S. Pœnitentiariæ, in revalidatione matrimonii ob impedimentum occultum nullatenus requiratur, quod ejus revalidatio fiat iterum coram paroco et testibus, non immerito concludi posse videtur, S. congregationem Concil. respondisse, matrimonium ex causa metus iniuste incusso non convalidari, nisi adhibita forma concilii, respiciendo scilicet ad metus hujusmodi publicitatem et deductionem ad forum externum, adeoque considerando impedimentum hocce non ut occultum, sed publicum, quo exstante (impedimento scilicet publico), matrimonium inde nullum iterum coram paroco, et testibus convalidari debere ex supradictis nulli dubium.

Quinimo allatarum resolutionum mentem in hoc sensu interpretatus est in sua relatione coram EE. PP. prædictæ congreg. idem Bened. XIV tunc a secretis, in *Florentina*, seu *Lucana*, die 28 Sept. 1725, tom. III *Thesaur. resolut.*, pag. 367 et seqq., ibi: « Quando publicum adfuit impedimentum, non potest matrimonium revalidari, nisi per novum contrahentium consensum coram paroco et testibus, ad tramites concilii Tridentini, licet forma hæc a concilio præscripta, in primo matrimonio nulliter contracto adhibita fuerit, juxta Resolutiones (nota) hujus S. Congregationis, in *Hispalen.* 20 Junii 1709, lib. II *Decretor.*, fol. 58, a tergo. Et in *Constantinopolitana*, 2 Decembris 1654 et 16 Decembris ejusdem anni, uti habetur lib. XV *Decret.*, fol. 130, a tergo, 140, pariter a tergo. »

chos et testes, si fuerint culpabiles. — 2. Matrimonium nullum ex aliquo defectu essentiali non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. — 3. Unde nullo modo audiendi sunt doctores contrariter sentientes. — 4. Matrimonium contractum a filia propter metum mortis a matre illatum, est invalidum, etiamsi post obitum matris per septennium cum viro permanserit, et filios susceperit. — 5. Matrimonium contractum ex metu resultante a præceptis pœnalibus, et carceratione de mandato judicis secuta, est nullum. — 6. Matrimonium contractum a viro reperto in lecto a consanguineis mulieris, uti per metum contractum, non tenet. — 7. Matrimonium contrahens cum Petronilla, si ante consummationem declaratur nullum ob metum cadentem in constantem virum, poterit ducere in uxorem sororem ejusdem Petronillæ. — 8. Secus autem si matrimonium esset nullum ob non servatam formam concilii. — 9. Matrimonium contrahi non debet cum matre illius filie, quam vir cognovit, ad quem effectum deneganda est dispensatio. — 10. Matrimonium contractum sub conditione opposita uni ex illius finibus principalibus, nullum est. — 11. Matrimonium non debet prohiberi illis, qui doctrinam Christianam nesciunt, sed ad id comminatoriis monitionibus sunt cogendi. — 12. Matrimonium contractum coram Sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio Paroco unius ex contrahentibus, et ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, est invalidum. — 13. Matrimonium mentito nomine, vel cognomine, adhuc prima uxore vivente, cum alia contrahens, quas penas incurrat? — 14. Matrimonium coram paroco non promotum infra annum valide celebrari potest. — 15. Matrimonium contractum coram paroco illius loci, ubi contrahens moratur tanquam prætor, iudex, seu medicus temporalis, validum est. — 16. Matrimonium contractum coram paroco alieno de licentia episcopi validum est, quamvis episcopus intentionem haberet tale matrimonium non alii, quam proprio paroco committendi. — 17. Matrimonium contractum coram paroco excommunicato valet. — 18. Matrimonium contractum in parochia habitationis uxoris coram paroco viri, et e converso, validum est. — 19. Matrimonium nullum ex publica causa, nova indiget præsentia parochi ad illud convalidandum. — 20. Matrimonium contractum a viro annorum undecim, mensium sex, et dierum sex, nullum declaratum fuit. — 21. Matrimonium contractum, et consummatum cum muliere annorum decem cum dimidio, nullum declaratum fuit. — 22. Matrimonium autem contractum ab impubere, seu ante legitimam ætatem, valet, si malitia suppleat ætatem. — 23. Talis malitia supplens ætatem in duobus copulative necessario consistit, scilicet in discretionem ad conjugalem consensum, et in potentia ad copulam. — 24. An autem sit in impubere hujusmodi malitia, spectat ad judicem ecclesiasticum declarare. — 25. Si impubes declaratur habere hujusmodi malitiam, potest contrahere matrimonium de episcopi licentia, sine ulla Sedis Apostolicæ dispensatione. — 26. Matrimonium per verba de presenti inter puberem et impuberem, vel inter duos impuberes non proximos pubertati, et in quibus malitia non suppleat ætatem, nulliter seu clandestine contractum, valet in vim sponsaliorum, seu resolvitur in sponsalia de futuro. — 27. Sponsi tamen impuberes facti puberes non possunt per censuras cogi ad contrahendum per verba de presenti, sed ad annos pubertatis perveniti possunt recedere. — 28. Matrimonium inter puberes, non servata forma concilii, contractum per verba de presenti, non resolvitur in sponsalia de futuro. — 29. Puberes vocati sunt a pube. — 30. Pubes quid? — 31. Pubertas quid sit? — 32. Pubertatis anni in feminis ordinariè sunt 12 completi, et in masculis 14. — 33. Puberes sunt

illæ personæ, quæ dictam ætatem compleverunt, impuberes, quæ non compleverunt. — 34. Pro regula certa illæ personæ sunt puberes, quæ ex habitu corporis pubertatem ostendunt, et generare jam possunt. — 35. Quinam dicantur pubertati proximi? — 36. Ad valorem matrimonii tam de jure civili, quam canonico requiruntur, et sufficiunt anni pubertatis, scilicet 12 completi in feminis, et 14 in masculis, nisi tamen in eis malitia suppleat ætatem. — 37. Validum est autem matrimonium contractum ante ætatem ab illis, in quibus malitia prævenit, seu suppleat ætatem. — 38. Matrimonium quando contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in parochia habitantes, qui tamen sunt cogniti, proprius eorum parochus esse intelligitur, in cujus parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur. — 39. Matrimonium coram paroco et testibus contractum hac conditione *si mulier est legitima*, subsecuta copula, non est validum, si postea constiterit mulierem esse illegitimam. — 40. Matrimonium contractum sub conditione apposita per virum, *si id salvo honore meo fieri potest, et si fratribus meis placuerit*, et non expectato conditionis eventu, subsecuta fuerit copula cum effectu maritali, est validum. — 41. Matrimonium contractum et consummatum, mediante Apostolica dispensatione, ex causa indotationis mulieris, si detegatur falsa eadem causa, et appareat de congrua dote, adhuc sustinetur. — 42. Qui obtinuit dispensationem super impedimento consanguinitatis in forma pauperum, falso narrata paupertate, dicitur valide dispensatus, et proles legitima. — 43. Si dispensatio matrimonialis reperitur concessa inter consanguineos *ob angustiam loci*, erit exsequenda, etiamsi testes deponant homines loci esse omnino pares. — 44. Qui obtinuit litteras dispensationis super gradu prohibito consanguinitatis, et illis non presentatis, contraxit, vel carnaliter sponsam cognovit, indiget nova dispensatione. — 45. Qui delictum polygamie commisit, et pœnitentiam jam explevit, non potest absque dispensatione Apostolica cum secunda de novo matrimonium contrahere, quamvis prima legitima uxor decesserit. — 46. Non confirmatus non contrahit impedimentum ad effectum contrahendi cum suscepto in sacramento confirmationis. — 47. Qui sponsalia contraxit cum muliere inhonesta, non potest a consanguineis impediri, ne matrimonium contrahat. — 48. Matrimonium inaequale non potest impediri a matre sponse. — 49. Matrimonium simulate contractum ad effugiendum aliquod periculum, nullum est. — 50. Matrimonium absque triennali cohabitatione dissolvendum est, quando clare constat de impotentia unius. — 51. Matrimonium contractum cum impedimento dirimente a muliere animam agente, ne moreretur infamata, nullum declaratum fuit. — 52. Matrimonium ratum ex justa causa dissolvi potest a Summo Pontifice, dissentiente etiam uno ex conjugibus. — 53. Matrimonium contractum cum conditione, quod mulier haberet tantam dotem, detecta istius insufficientia, adhuc validum reputatum fuit. — 54. Matrimonia contrahi possunt a subditis etiam sine consensu dominorum, non obstante contraria consuetudine. — 55. Matrimonia ne contrahantur post occasum solis, neque per procuratorem, statuere nequeunt episcopi. — 56. Matrimonium valide et licite contrahi potest cum pacto continentie; non sic tamen sub conditione professionis. — 57. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonia domi celebrentur. — 58. Matrimonium enim licite celebrari potest extra ecclesiam. — 59. Benedictiones conjugales non possunt fieri, nisi intra missarum solemniam. — 60. Parochus proprius debet accipere elemosynam ratione benedictionis, et non alius. — 61. Alia de matrimonio, *remissive*. — 62. Quoad validitatem, et invaliditatem matrimoniorum: et pro

matrimoniis oculis, seu conscientiae, attendendae sunt duae novissimae constitutiones Benedicti XIV. in quibus varia statuuntur, quae assignantur ad n. 63. — 64. Alia, ad rem, remissiva. — 65. Additur hic notabilis resolutio sacr. congr. Concil. — 66. Subnectuntur Supplementa auctoris, ad n. 141. — 142. Item *Addit. ex aliena manu* ad n. 194.

(1. Matrimonium contrahentes, omissis dolose denuntiationibus, seu fraude deceptis parcho et testibus, possunt puniri ab episcopo etiam poena pecuniaria; imo potest episcopus punire et ipsos parochos et testes, si fuerint in his culpabiles. Sacra congreg. Conc. sub die 10 Februar. 1629. In qua porrectis quaesitis:

I. « An episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum?

II. « An eos, qui contrahunt coram parcho ex causa justa dissentiente?

III. « An eos, qui contrahunt omissis denuntiationibus?

IV. « An possit punire testes intervenientes in supradictis casibus?

V. « An possit in eisdem casibus punire poenis pecuniariis, locis tamen piis applicandis? Sacra congregat. etc.

*Ad 1, 2 et 3 respondit episcopum posse.*

*Ad 4, posse quatenus testes sint in dolo.*

*Ad 5, pariter respondit posse.*

*Et in Savonen. 2 Mart. 1595 respondit matrimonium contractum, servata forma conc., esse validum; etiamsi antea episcopus inhibuisset parcho, licet hic puniri valeat ob inobedientiam; lib. viii Decret. fol. 106.*

(2. Matrimonium nullum ex aliquo essentiali defectu, celebratum sine proprio parcho, non resolvitur in sponsalia de futuro, etiamsi secuta sit copula in figura matrimonii. Sic pluries censuit sacra congregat. Concilii, ut refert Ursaya *Disceptat. ecclesiast.*, tom. III, part. 1, discept. 19, a numer. 170, ad 242, et signanter in *Nullius* die 8 Jun. 1595, ubi censuit « matrimonium sine praesentia parochi per verba de praesenti contractum, etiam copula subsecuta, et irritum, et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime resolvi, » lib. viii Decret., fol. 130, et in *Granaten.*, in qua propositis sequentibus dubiis:

I. « An contrahens, non servata concilii solemnitate, obligatus sit saltem obligatione naturali, cujus vigore aliquo Ecclesiastico remedio compelli possit ad observanda promissa?

II. « Quid, si in hujusmodi contractu interpositum sit juramentum?

III. « An talis contractus valeat saltem ut sponsalia de futuro?

IV. « An sic contrahens peccet mortaliter non adimplendo suam promissionem?

*Ad 1. Sacra congreg. censuit non esse obligatum, etiam obligatione naturali.*

*Ad 2. Sacra congreg. respondit idem, etiamsi contrahens jurasset.*

*Ad 3. Sacra cong. respondit non valere.*

*Ad 4. Sacra congregatio non peccare censuit.*

Tom. LXXII *Positionum S. C. C. signat. foris*, sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 1, fol. 168 et 169.

(3. Unde recte infert citatus D. Ursaya, ib. sub n. 243, nullo modo audiendos esse doctores illos, qui contrarium asserunt, nempe matrimonium clandestinum habere vim sponsalium, et proinde obligare nulliter contrahentes ad iterum valide contrahendum; tum quia majoris etiam numeri sunt doctores tenentes tale matrimonium non resolvi in sponsalia, quam illi, qui tenent resolvi, ut videre est apud Barbosam in *Conc. Trident.*, sess. xxiv, cap. 1, n. 130, et alios.

(4. Matrimonium contractum a filia propter metum mortis a matre illatum, est invalidum, etiamsi post obitum matris per septennium cum viro permanserit, et filios susceperit. Sacra congreg. Conc. in *Romana* 13 Septembr. 1629; Aldan. in *Compendio canonic. tres.*, lib. 1, tit. 8, n. 24; Barbosa, in *Summa Apostolic. dec.*, verb. *Matrimonium*, n. 32, et in *Concil. Trid. loc. cit.*, n. 133; Seraphin., decis. 900; Gregor. XV, decis. 395. \* Caeterum hoc decretum intellige juxta a nobis tradita sub n. 36 per tot. artic. antecedentis\*.

(5. Matrimonium contractum ex metu resultante a praecipis poenalibus, et incarceratione de mandato judicis secuta, est nullum. Sacra congreg. conc. in *Vintimilien. matrimon.*, 24 April. anni 1700 et in *S. Agathae Gothorum matrimon.*, eisdem die et anno.

(6. Matrimonium contractum a viro reperto in lecto a consanguineis mulieris, uti per metum contractum, non tenet. Sacra congreg. Conc. in *Aquilana matrimon.* 2 Jun. 1715.

(7. Matrimonium contrahens cum Petronilla, si ante consummationem declaratur nullum ob metum cadentem in constantem virum, poterit ducere in uxorem sororem ejusdem Petronillae, quia tali casu nullum ei obstat impedimentum, ut declaravit sacra congreg. Conc. 22 Mart. 1664. (8. Secus autem, si matrimonium esset nullum ob non servatam formam Concilii, aut ex alia causa, quia tunc oriretur impedimentum justitiae et publicae honestatis. Eadem sacra congregat. Concil. 8 Novembr. 1384, et in *Casenat.* 18 Junii 1611, lib. xi Decret., fol. 99. Et ratio disparitatis est, quia in primo casu nullus adest consensus (qui est causa efficiens, et formalis contractus), et sic inde ortum habere non potuit impedimentum, non sic autem in secundo casu, in quo cum consensus non deficiat, sed solemnitas, oritur inde impedimentum, quod contractum dirimit jure ecclesiastico positivo.

(9. Matrimonium contrahi non debet cum matre illius filiae, quam vir cognovit, ad quem effectum deneganda est dispensatio. Sacra congregat. Conc. in *Neapolitana dispensationis* 28 Mart. 1716, apud Ursayam tom. IV, part. 1, discept. 12.

(10. Matrimonium contractum sub conditione opposita uni ex illius finibus principalibus, nullum est. Sac. cong. Conc. in *Ulyssiponen. occidentalis* 3 Jul. 1724, apud Ur-

sayam in *Miscellaneo sacro et profano* 1, verb. *Matrim.* 101.

Matrimonium non debet prohiberi illis qui doctrinam Christianam nesciunt, sed ad id comminatoriis monitionibus sunt cogendi. Sac. cong. Episcoporum. et Regular. in *Gallipolen.* 9 Mart. 1588.

#### Nota Romani theologi.

Circa doctrinam necessariam in iis, qui contrahere matrimonium velint, videatur Bened. XIV. in tract. *De synodo dioces.*, lib. viii, cap. 14, ubi rem fase pertractat. Inter alia vero haec habet. In congregatione habita coram san. mem. Innocentio XII ann. 1697 decretum est, non esse a parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererit in Christianae religionis rudimentis sufficienter instructos; quod ruidem decretum confirmatum fuit a fel. record. Clemente XI in suo Bullario, pag. 326. Ac denique nos ipsi in nostra Encyclica Epistola ad universos episcopos, quae est 42 in nostro Bullario § 11, tom. I, haec scripsimus: « Verum, cum matrimonio jungendi non sint, si parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem, seu feminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare, vix tantae ac tam luctuosae ignorantiae locum relinquet episcopus, qui pastores animarum admoneat officii sui, et huic, si desint, negligentiae repetat poenas. » Contrahentes itaque matrimonium scire ea debent, quae necessaria sunt necessitate medi, et quae ex praecipio Ecclesiae memoria tenere debent fideles. Episcopi itaque et parochi repellere a contrahendo matrimonio debent eos, qui tum haec ignorent, tum etiam ea, quae spectant ad conjugatorum officia: hos vero arcendo a celebrando matrimonio, non novum impedimentum constituunt, sed indignos repellunt a sacramenti susceptione, quod sine sacrilegio recipere non possent: cum enim matrimonium sacramentum sit vivorum, hoc est, ab iis, qui in gratia sint, suscipiendum, animarum pastores munere funguntur suo, dum eos ab hoc recipiendo Sacramento arceant, quos in peccato mortali versari noverint; qui vero negligunt ea scire, quae antea diximus, in peccato mortali sunt. Quamobrem pastores eo studio, quo curare debent, ut digne sacramenta suscipiantur, tandiu a sacramenti susceptione repellere contrahentes debent, quoad usque graviter culpabilem ignorantiam in iisdem deprehenderit: « Quod si haec prohibitio diuturna sit, et perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui in illis erudiri, aut recusant, aut negligunt, » inquit idem sapientissimus Pontifex. Si vero culpabilis non sit ignorantia, sed ex eo oriatur, quod homo hebetis sit ingenii, et exilis memoriae, qua de causa adhibita diligentia memoriae mandare nequeat scitu necessaria, « in hoc rerum statu, non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini, sine propria culpa, denegandum; sed curabit parochus,

ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabatur. »

#### Responsio auctoris.

Notat hic Rom. theologus circa doctrinam necessariam in iis, qui contrahere matrimonium velint, videndum esse Bened. XIV. *De synodo diocesana*, lib. viii, cap. 14, sed et videnda est etiam circa doctrinam christianam tota integra ejusdem Pontificis constitutio 42, incip. *Est minima*, ab ipso loc. cit. indicata, ejusque summarium in indice tom. I ejus Bullarii verb. *Doctrina Christiana*, et verb. *Matrimonium*, juxta a me allata in *Supplementis* dict. verb. *DOCTRINA CHRISTIANA*, et *MATRIMONIUM*, quae omnia sunt exacte observanda. \* Vide *Addit. Casin.*, sub n. 113, art. 6.

(11. Matrimonium contractum coram sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio parcho unius ex contrahentibus, et ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, est invalidum. Sacra congreg. Conc. sub 5 Decemb. 1626, et sub die 15 Apr. 1628, apud Sellium in *Selectis canonicis* cap. 22, n. 15, et apud Barbosam in *Collectan. ad Trid.* sess. 24, *De reformat. matrim.*, cap. 1, num. 118.

(12. Matrimonium mentito nomine, vel cognomine, adhuc prima uxore vivente, cum alia contrahens, ultra poenas, quibus ipse ordinarie puniri solet, damnari debet ad triremes in perpetuum; quod si inhabilis repertus fuerit, publice fustigetur, et daretur ad carceres in perpetuum; si vero pro qualitate et enormitate delicti graviores poenas meruerit, etiam curiae saeculari, arbitrio sacrae congregationis S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana contra haereticam pravitalem generalium inquisitorum, puniendus tradatur. Urbanus VIII, 20 Jun. 1637, constit. incip. *Magnum in Christo*.

(13. Matrimonium coram parcho non promotum infra annum valide celebrari potest. Sacra congreg. Conc. sub die 12 Mart. 1593, apud Barbosam in *Summa Apostolicar. dec.*, verb. *Matrimonium*, n. 7, et *De offic. et potest. parochi*, cap. 11, n. 55.

(14. Matrimonium contractum coram parcho illius loci, ubi contrahens moratur tanquam praetor, judex, seu medicus temporalis, validum est. Sacra congreg. Conc. apud Barbosam in *Summa Apostolicar. dec.*, verb. *Matrimonium*, num. 18, et *De offic. et potest. parochi*, c. 21, num. 28, et apud Garciam, *De benefic.*, part. v, cap. 7, n. 11, ad 5.

(15. Matrimonium contractum coram parcho alieno de licentia episcopi validum est, quamvis episcopus intentionem haberet tale matrimonium non alii, quam proprio parcho committendi. Sacra congreg. Conc. apud Sellium in *Selectis canonic.*, cap. 8, n. 73, et Barbosam in cit. *Summa*, n. 6.

(16. Matrimonium contractum coram parcho excommunicato valet, quia ille in hu-

jusmodi casu præstat solam præsentiam ad effectum tollendi clandestinit. S. congr. C. sub die 3 Mart. 1594.

(17. Matrimonium contractum in parochia habitationis uxoris coram paroco viri, et e converso, validum est. Sac. congr. Conc. apud Barbosam in cit., *Summa* n. 17, recedens a priori contraria decisione apud eundem Barbosam, *De offic. et potest. paroch.*, cap. 21, n. 45.

(18. Matrimonium nullum ex publica causa, nova indiget præsentia parochi ad illud convalidandum, et non valet dicere fuisse ratificatum per copulam subsequutam: et dicitur notorium, ac reputatur publica causa, si constet ex libro baptizatorum aliquem ex contrahentibus tempore matrimonii non esse legitimæ ætatis. Sacra congreg. Conc. in *Balneoregien.* 8 Jun. 1619, apud Barbosam in cit. *Summa*, n. 20.

(19. Matrimonium contractum a viro annorum undecim, mensium sex, et dierum sex, nullum declaratum fuit a sacra congreg. Conc. in *Romana Matr.*, 11 Septembr. 1666, lib. xxv. *Decr.*, fol. 226, apud Ursayam in *Miscellaneo sacro et profano* 1, verb. *Matr.*, n. 80.

(20. Matrimonium contractum et consummatum cum muliere annorum decem cum dimidio, nullum declaratum fuisse ab eminentissimo Urbis vicario die 13 Sept. 1709, refert Ursaya, tom. I, part. II, discept. 29, n. 22, in fine.

(21. Matrimonium autem contractum ab impubere, seu ante legitimam ætatem valet, si malitia suppleat ætatem, c. *Puberes* 3, De desponsat. impuberum, ubi in ordine ad contrahendum matrimonium pro certo sufficienter pubes habetur, « qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest; » etsi determinatos a jure annos necdum habeat, uti adhuc clarius deciditur in c. *De illis* 9, tit. eod., ibi: « Respondemus quod, si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alterum visus fuerit consensisse, cum in eis ætatem supplevisse malitia videatur, » et concordat cap. *Tua* 14, eod. tit., et expresse tenet Fagnanus in cap. *De illis*, n. 2, 19, 20 et 42, testans de communi, subdens ibi., n. 47, id ipsum sæpius probasse sacram congreg. Conc.; nam quoad hoc concilium non correxit canones, et expresse etiam tenet S. Thomas in 4, dist. 36, quæst. unica, art. 5, dicens: « Idcirco matrimonium valide contrahi, si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perveniat, ita ut vigor naturæ et rationis, defectum ætatis suppleat. » Et de facto multa exempla habemus, quod masculi in decimo ac undecimo, et femellæ in decimo anno proles procrearint; de quo vide Barbosam in cit. cap. *Puberes* 3, De desponsat. impuber., n. 3, et Sanchez, lib. VII, disp. 204, n. 29.

(22. Talis vero malitia ad validitatem matrimonii ante legitimam ætatem sufficiens in duobus copulative necessario consistit,

scilicet et in discretionem ad conjugalem consensum, et in potentia ad copulam, ut excommuni tenet Fagnan., l. c., n. 3, subdens ibi., n. 47, id declarasse etiam sacram congregationem Concilii in causa Januensi. (23. An autem sit in impubere hujusmodi malitia, spectat ad judicem ecclesiasticum declarare, ut censuit eadem sac. congreg. Conc. in d. *Januensi*, teste Fagnano, l. c., n. 47.

(24. Hinc impubes, qui ab ordinario, receptis debitis probationibus, declaratus fuerit habere hujusmodi malitiam supplement ætatem, poterit matrimonium contrahere de episcopi licentia sine ulla Sedis Apostolicæ dispensatione; et ratio est quia impedimentum ætatis a canonibus præfinitæ non est simplex, et absolutum, sed est conditionale, nisi malitia suppleat ætatem, ut patet in cit. cap. *Puberes* 3, cap. *De illis*, et cap. *Tua* 14, De desponsat. impuberum, et cap. unic. eod. in 6, adeoque statim ac ordinarius declaravit malitiam supplere ætatem, talis impubes in contrahendo utitur jure suo, et episcopus concedendo licentiam nihil attentat contra jus, cum possit illam concedere sine recurso ad Sedem Apostolicam, ut ex pluribus solide probat Fagnan., l. c., a n. 38 ad 46, ubi dicit hoc expresse declarasse Gregorium XIII qui, ut refert Navarr., consil. 5, in fine, *De desponsat. impuber.*, cuidam petenti dispensationem ad matrimonium impuberis, dicitur respondisse Sedem Apostolicam ob hoc non esse interpellandam, cum si desit discretio vel potentia consummandi matrimonium, Sedes Apostolica nihil possit. Quod si neutrum deesse cognoverit, ordinarius poterit, si causæ, quæ narrantur, sunt veræ, suo jure dictam licentiam concedere. Hæc ibi Fagnanus, qui n. 7 subdit quod id ipsum sæpius probavit sacra congreg. Conc.

(25. Matrimonium per verba de præsentia inter puberem, et impuberem, vel inter duos impuberes non proximos pubertati, et in quibus malitia non suppleat ætatem, nulliter, seu clandestine contractum valet in vim sponsaliorum, seu transit, et resolvitur in sponsalia de futuro, textu expresso in cit. cap. unic., § *Idem quoque eod.*, in 6, et sic declarasse sacram congregat. Conc. refert Fagnan., l. c., n. 49, et tenet Communissima doctorum, teste Reiffenst., lib. IV *Decretal.*, tit. II, n. 18. (26. Sponsi tamen impuberes, facti puberes non possunt per censuras cogi ad contrahendum per verba de præsentia, sed ad annos pubertatis perventi possunt recedere, c. *De illis* 7, et c. *Anobis* 8, De desponsation. impuber., et sic plenis votis declaravit sac. congregat. Conc. teste Fagnano, l. c., n. 50, nisi sponsalia fuerint jurata, et impuberes tempore sponsaliorum fuerint doli capaces, quia tunc etiam impuberes facti puberes cogi possunt per censuram ecclesiasticam ad observantiam juramenti, textu expresso in cap. *Ex litteris*, 10, De sponsalib., et Gloss., ibi., vers. *Sub juramento*, Hostiens., ibi., verb.

*Jurare*; Joann. Andreas, ibi., n. 3; Butrius, n. 10; Ancharan. n. 3; Abbas. n. 6; Alexander de Nævo, n. 15; Præpositus, n. 4, in fine; Fagnanus, n. 4, et in cap. *De illis*, 9; De desponsat. impub., n. 51; Covarruv., in 4, *decr.*, part. I, cap. 5, § 1, n. 3; Sanchez, l. I, disp. 51, n. 22, et alii passim; nec quoad tales impuberes doli capaces, seu in quibus malitia tempore sponsaliorum supplebat ætatem, dissensit Reiffenstuel, l. IV *Decret.*, tit. 2, n. 17, quamvis n. 16, cum aliis ibi citatis dissentiat quoad impuberes simpliciter.

(28. Matrimonium inter puberes, non servata forma concilii, contractum per verba de præsentia non resolvitur in sponsalia de futuro, ut sæpius declaravit sac. congreg. Conc. ut patet ex adductis ejus decretis sub n. 2, et testatur etiam Fagnan. in cit. cap. *De illis* 9, De desponsat. impub. in fine, ubi refert quod « d. sac. congregatio consulta, an matrimonium clam sine paroco et testibus contractum resolvatur saltem in vim sponsaliorum? respondit non resolvi; quia est defectus in forma. » Unde non officit, quod in sponsalia resolvatur simile matrimonium impuberum ex dictis supra n. 26, per textum in cit. cap. *Tua* 14, De desponsat. impub., et cit. c. unic., § *Idem quoque eod.*, in 6, quia ibi agitur de nullitate defectu causæ efficientis, non autem formalis, ut hic, sicuti dicit d. sac. congregatio, quia est defectus in forma, et cum Geminian. et pluribus aliis notat etiam recte Ursaya, tom. III, p. 1, discept. 19, n. 189.

(29. Hic occasione puberum et impuberum juvat notare varia circa ipsos. Unde puberes a pube sunt vocati, id est a pudenda corporis nuncupati, quia hæc loca primo lanuginem ducunt, textu expresso in c. *Puberes* 3, De desponsat. impub., ibi: « Puberes a pube sunt vocati, id est a pudenda corporis nuncupati, quia hæc loca primo lanuginem ducunt. » (30. Pubes enim est lanugo illa primo nascens circa pudenda, ita ut et pars illa corporis a Latinis pubes dicatur, ut ex communi notat Calvinus in suo magno *Lexico juridico*, tom. II, verb. *Pubes*, arg. cap. *Puberes*. (31. Pubertas autem est emissio ipsa pubis, a qua anni pubertatis dicti sunt, Calvinus, l. c., verb. *Pubertas*.

(32. Pubertatis anni in feminis ordinarie sunt duodecim completi, in masculis autem 14 item completi, textu expresso in l. ult. cod., *Quando tutores esse desinant*, ibi: « Jubemus, quemadmodum feminae post impletos 12 annos omnimode pubescere judicantur, ita et mares post excessum 14 annor. puberes existimentur, » et concordat cit. c. *Puberes*. (33. Unde puberes sunt illæ personæ, quæ dictam ætatem compleverunt, et impuberes sunt illæ personæ, quæ d. ætatem nondum complete attigerunt. Dicitur autem fuit notanter ordinarie, quia in quibusdam pubertas interdum anticipat talem ætatem, et in aliis quandoque posticipat. (34. Hinc regula certa est illas personas esse puberes, quæ ex habitu corporis

pubertatem ostendunt, et generare jam possunt, textu expresso in cit. cap. *Puberes* 3, De desponsat. impuber., ibi: « Cæterum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest. »

(35. Quinam autem dicantur pubertati proximi, variæ fuerunt opiniones: at duæ præ aliis receptæ videntur. Prima, quod masculi dicantur pubertati proximi, cum dimidium annum supra decimum excesserunt, et feminae, cum novem annos, et dimidium egressæ sunt, arg., § final., *Quibus ex causis manumit. non lic.* Nam post infantiam usque ad pubertatem sunt in masculis septem anni, et in feminis quinque; quare, ex quo excessit quis dimidiam hujus temporis partem, magis pubertati, quam infantia proximus dici debet. Panormitanus in cap. *Continebatur* 6, De desponsat. impuber., quod in ea præsertim ætate solet plerumque malitia tempus supplere; cap. 1, *De delict. puer.*—*Glossa* in summa 20, quæst. 1. Et hanc sententiam docuit Accursius, in l. I, ff. *De novat.*, § *In summa*, *Instit. de obligat. quæ ex del.*, § *Pupillus*, *Instit. de inutil. stip.* Secunda sententia docet, non posse quoad hoc tradi unam regulam generalem pro omnibus, sed illas personas censi debere pubertati proximas, quæ rerum intellectum jam capere possunt, et doli capaces existunt, seu in quibus malitia supplet ætatem arg. l. XXIII et XXIV; *De furtis*, cap. *Puberes* 3, cap. *Continebatur* 6, cap. *De illis* 9, *Attestationes* 10, et cap. *Tua* 14, De desponsat. impuber., et alii communius, et quantum ad contrahendum matrimonium hæc sententia est habenda pro certa, textu expresso in cit. cap. *Puberes* 3, De desponsat. impuber., ibi: « Certum est autem, eum puberem esse qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest; » et cit. cap. *De illis* 9, tit. eod., ibi: « Respondemus; quod si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alterum visus fuerit consensisse, cum in eis ætatem supplevisse malitia videtur. » Vide supra a num. 22 ad 25.

(36. Hinc ad valorem matrimonii, tam de jure civili, quam canonico requiruntur, et sufficiunt anni pubertatis, scilicet duodecim completi in feminis, et quatuordecim item completi in masculis; nisi tamen in ipsis malitia suppleat ætatem, *Princip. instit. de nuptiis*, et l. IV, ff. *De actu nup.*, cap. *Puberes* 3, cap. *Attestationes* 10, et c. *Tua* 14, De desponsat. impub. Dicitur autem notanter 37: *Nisi tamen in ipsis malitia suppleat ætatem*, quia ex jam dictis a num. 22 ad 25 validum est matrimonium contractum ante dictam ætatem ab illis, in quibus malitia prævenit, seu supplet ætatem.

(38. Matrimonium, quando contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in parochia habitantes, qui tamen sunt cogniti, quod non sunt de comprehensis inter vagabundos, proprius eorum parochus esse